Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

siderato in xpi gloria gaudens repre-sentauit. Cuius excessum plebs xpo dicata grauiter ferens luctu lacrimisque reple-ta patris plorabat absentiam. Quos tamen ad modum fides consolabatur quod et illi gaudendum cognouiant propter quod assumptus esset in gloriam. et sibi nichilominus dolendum quod desolati essent utroque pastore. Corpus igitur ipsius in sepulchro quod ipse sibi parari fecerat. cum honore et laude collocatum sepelierunt. Sicque factum est. ut quomodo in uita sua mutua se dilexerant caritate. ita quoque et in requie corporum situ et animarum inseparabiles iungerentur. Quo in loco memoria sanctitatis eorum miraculis et uirtutibus ex inde ad laudem nominis xpi insignis haberi euidentibus comprobatur indiciis. Nec putandum coronam illis defuisse martyrii. quo licet persecutor defuit. tamen crucem xpi in corpore suo iugiter circumferentes. quia quod animo proposuerant non segniter impleuerunt.

vi Id Septembris

Passio S. Victorini et Seuerini confessorum

Victorinus et Seuerinus germani fratres. post utriusque parentis obitum se inuicem pedagogantes. pari custodia et motu obsequii emulantes. probabiles deo hostias optulerunt. placentine acuile prouincie. Hi cum legentes euangelia uenissent ad locum illum. Si uis perfectus esse uende omnia que habes et da pauperibus. et habebis thesaurum in celo. et ueni sequere me. absoluentes se a nexu seculi omnibus distractis facultatibus pauperibus diuisis. nichil sibi preter se inuicem relinquentes expediti

post dominum cucurrerunt. Alter itaque seruiens alteri. mutua uice et emula caritate seruabat imperium. Libertas nulli deerat. cum nichil haberent. Igitur Victorinus idipsum quod sibi parebat imperfectum computans. nec sibi satisfactum si aliter liceret in altero. sic germanum allocutus est. Mi frater care magis ex communi famulatu dei quam ex germanitatis uinculo. si deo uendidimus omnia ut expediti sequeremur dominum. cur mutua caritate separamur a deo? Nam cum non in te idem quod tibi in me iuris sit. nec mihi deest seruitium nec tibi. paret alter alteri dum facio quod iubes. et quod iubeo facis. et non facimus quod iussit deus. Sumo indumentum tuum tu meum. sic gemine sunt singule uestes. cum utreque siue communes sint. Heremum peto que perfectos habet. Cumque dictis uale fecisset. se tugurio eliminat. siluas petiit uicini montis que dicitur placere. nec defuit habitaculum quod natura prestiterat. sedit in specu excelse rupis. quod subterfluentis aque geminum sinuarat abruptum uni tantum hospitium uiro. et ut sedens somnum caperet. uel si reciperet alterum stans oraret. Erexit ostiolum uimine. ut ex antro faceret domum. Hinc annum perpetim legens oransque pernoctat. ociosum agens negocium. et cum nullus incederet se soli exhibebat deo. Cum hec antiquus hostis bonorum solito inuideret modo. simulans puellam se ad antrum uiri uelut oberraret applicauit. et sic humili uoce obsidens ut expugnaret. uiua cum gemitu dedit. Heu me miseram quam diuisa siluis trahor errore et tenebris uaga. nec locus agnoscit et iter querit